



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 95. Articuli fœderis inter Ludovicum XI. & Siciliae Regem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

§. XCV.

*Articuli fœderis inter Ludovicum XI.
& Siciliæ Regem.*

Rex, prosequitur Comminæus, Cossæ monitum non modo benignissime excipiebat, sed etiam palam profitebatur, quod maximam de Provincia suo imperio brevi iterum adjungenda spei suæ partem Cossæ affectui deberet. Nec Regem sua in eum fiducia fefellit; quippe Carolus Andegavensis Cenomani Comes a Renato Patruo suo ex asse hæres scriptus, mortuo Siciliæ Rege omnium ditionum possessionem adibat, qui tamen quinto post anno easdem Galliarum Regi testamento reliquit, excluso Renato Lotharingiæ Duce Siciliæ Regis Nepote. Hujus cessionis beneficium Ludovicus XI. in acceptis referebat Palamede de Furbino Solierii Toparchæ, qui apud Cenomanensem Comitem magna valebat auctoritate, ac in obsequii sui præmium supremus Provinciæ Pro-Præfectus nominatus est. Ceterum Fœderis pacta inter Galliarum, & Siciliæ Reges sancita non explicabant cessionem Provinciæ jam tum reipsa Ludovico IX. factam, sed unice eo collimabant, ut fœdere penitus rescisso Burgundiæ Dux omni hæreditariæ successionis spe deiceretur;

*Fourbin.
Soliers.*

ceretur; Nec Rex Burgundiæ hæres Sæcul. XV. A.C. 1476.
 proclamabatur, Margarita tamen Ande-
 gavensis senioris Renati Vidua, quæ olim
 in Anglia unacum Henrico VI. Marito
 suo capta fuerat, Regi cessit omnia jura,
 quæ in bona, & dominia Patris sui ha-
 bebat; pro iis tamen numeravit Rex E-
 duardo Angliæ Regi quinquaginta au-
 reorum millia, quæ pro redimenda præ-
 fata Margarita expendebantur.

§. XCVI.

*Reconciliatio Ducissæ Sabaudicæ cum
 Ludovico Rege.*

Inter omnes foederatos nonnisi Neapo-
 lis Rex, & Sabaudicæ Ducissa adhuc-
 dum Burgundi partes tuebantur: ambo-
 rum tamen sollicitudo eo maxime spe-
 ctabat, ne proxime imminente Bur-
 gundiæ Ducis exitio & ipsi pari fato in-
 volverentur. Quare Ferdinandus ab au-
 la Burgundi Fridericum Filium suum,
 quem eo miserat, revocabat. Ducissa
 quoque Sabaudicæ cum spe freta esset,
 quod Ludovici XI. fratris sui opera nu-
 pticæ Filii sui Sabaudicæ Ducis cum Bur-
 gunda hærede rescinderentur, Granso-
 nensem Burgundiæ Ducis cladem edo-
 cta verebatur, ne Ducatum suum adeo
 non aliena Belgii accessione extende-
 ret, ut propriam etiam ditionem suam
 cum